

X 1879284

II K  
2838

R.K.  
435,  
II

DISPUTATIO  
INAUGURALIS JURIDICA,  
DE  
RE MONETARIA,

Quam  
*Sub Cælesti Præsidio*

Ex  
*Magnificæ & Amplissimæ Facultatis Juridicæ  
Decreto*

IN ILLUSTRIS HASSO - GIESSENSA  
UNIVERSITATE

Pro  
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONO-  
RIBUS AC PRIVILEGIIS RITE OB-  
TINENDIS

*In Solenni Jctorum Auditorio*

Excell. Senatus Academici disquisi-  
tioni publicè submittit

JOHANNES HENRICUS FLENDER,  
Sigenensis,

Ex parte Eminentissimi Electoris Trevirensis Prætor apud  
Civitatem Imperialem Wezflariam,

Die 27. Februarii, Anno M DC XC.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

GISSÆ - HASSORUM,  
Typis Henningi Mülleri.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

*Eminentissimo & Celsissimo Prtncipi, ac Domino*

DOMINO  
**JOHANNI HUGONI,**  
Archi-Episcopo Trevirensi, Sacri Romani Im-  
perii per Galliam & Regnum Arelatense Archi-Cancellario,  
ac Principi Electori, Episcopo Spirensi, Administratori  
Prumiensi perpetuo, & Præposito Weis-  
senburgensi, &c. &c.

*Imperialis Camerae Judici,*

Domino suo Clementissimo.

*Reverendissimo & Per-Illustri DOMINO,*

**DN. PHILIPPO FRANCISCO  
EVERHARDO,**

Camerario Wormatiensi, Baroni de Dalberg, S. Rom. Imp.  
primo Equiti, Domino in Hemsheim, Essingen, & Krobsberg,  
Ecclesiae Cathedralis Wormatiensis Præposito &c.

Imperialis Camerae Vice-Judici & Præsidi.

*Illustrissimo, & Excellentissimo DOMINO,*

**DN. JOHANNI ANTONIO,**  
Comiti in Leiningen, Domino in Westerburg, des H. Röm.  
Reichs Semper-Freyen &c.

Imperialis Camerae Præsidi,

*Nec non*

*Per-Illustribus, Pranobilissimis, Amplissimisq; Dominis, Dnn. Ejusdem  
Augustissimi Imperialis Camerae Iudicii*

**ASSESSORIBUS.**

*Dominis suis perquam gratiosis & omni veneratio-  
nis cultu maxime suspiciendis.*

D. D. C.

Author



# PRÆFATIO.

§. I.



Propositurus Inclyto huic Eruditorum Virorum confessui theses aliquas inauguales, non vanæ alicujus ostentationis, aut inanis ambitionis ergò, sed ex causa honestâ & ad finem mihi propositum, ut spero, conducente, operæ pretium esse putavi, præ cæteris materiam *de re monetariâ* ad manus sumere; idque propterea imprimis, quod notum sit, nihil ferè in hisce terris ubivis locorum magis conquiri, in negotiis humanis magis respici, in judiciis magis controversi, denique nihil undiquaque ita prædominari, quam solam pecuniam; manifestum siquidem est, pecuniâ res omnes æstimari. *l. penult. §. & neminem l. C. de Const. pecun. pecuniam rei cujusvis vicem sustinere. l. 42. ff. de fidejussor. loco sanguinis esse, Menoch. de arbitr. jud. quest. cas. 110. n. 6. & nihil non fieri pecuniæ causâ, eique obedire omnia, Ecclesiast. c. 10. v. 19. geld beherrscht die ganze Welt: quare in encomium pecuniæ Rex Gothorum Theodoricus in epistolâ quadam ad Boetium, Virum illustrem, apud Cassiodorum lib. 5. var. form. cap. 10. inter cætera eâ de re ita scribit: Pecunia ipsa, quamvis usu celeberrimo utiles esse noscantur, advertendum ta-*

A

men

ino  
I,  
m-  
rio,  
ri  
  
O  
mp.  
3,  
  
O,  
m.  
  
dem  
  
tio  
  
thor

men est, quantâ à veteribus ratione collecta sint; sex millia denariorum solidum esse voluerunt: scilicet ut radiantis metalli formâ rotunditas aetatem mundi quasi sol aureus convenienter includeret, senarium verò, quem non immeritò perfectum docta antiquitas definiuit, uncia, qua mensura primus gradus est, appellatione signavit, quam duodecies similitudine mensium computatam in librâ plenitudinem ad anni curricula collegerunt. O inventa prudentum! O provisa Majorum! exquisita res est, qua & usui humano necessaria distingueret, & tot arcana naturæ signaliter contineret &c. cujusmodi plura pro exaltatione hujus Idoli in eâdem epistolâ commemorat, quæ omnia hic loci recitare nimis prolixum foret.

§. 2. Porro etiam in propatulo est jam à seculo, & quod excurrit, ab Augustissimis gloriosissimæ memoriæ Imperatoribus & universis Imperii Statibus in omnibus Comitibus sollicitè deliberatum, plurimisque præterea Circularibus conventibus desudatum esse, quomodo in imperio Romano Germanico, in maximum Patriæ detrimentum plurimis corruptelis & abusibus inficiata, nec non confusionibus detestatissimis immerfa res monetaria, in ordinem tandem redigi, stabilitati perpetuæ restitui, lethali que ulcere, quale ex neglectu monetarum Respublicæ contrahere solent, remedium certum adhiberi possit; uti & anno prioris seculi 1559. ab Imperatore Ferdinando I. mo felicissimæ recordationis edictum quoddam, seu ordinatio monetalis cum Consensu Statuum Imperii evulgata quidem, quæ variis dein secutis Comitibus locupletata, & confirmata, sed hætenus, proh dolor! parum observata, imò hisce nostris depravatis temporibus omnimodæ ferè oblivioni tradita; eâque de causâ omnem ferè ad

rè adhuc residuam probiorem monetam ære contaminari, quin in minutioribus, loco grossarum in immensum numerum excrescentibus, pro argento scorias obtrudi passim videas; Unde & modernus Imperator, invictissimus Leopoldus, in hujus rei tam nocivæ emendationem, inter maximas Imperii curas animum quidem sedulo applicuit, postq; aliquot de super emissa Edicta, Commissiones tandem sat celebres nuper decrevit, quæ autem propter perfidissimum superveniens Pacifragium Gallicum hætenus effectu destituta, & saluberrimum hocce Sacræ Cæsareæ Majestatis propositum optatissimo exitu caruit, quod verò proximam arridente occasione super incudem reproduendum speramus; adeoque vel propterea hanc aleam hoc tempore tabulæ forensi impositam, à juris scientiæ asseclis frequenter jactandam esse nemo inficiabitur.

§. 3. Accedit, tandem, ultima ratio, quod uti experientia ipse sum edoctus, vix reperiri facile materiam liceat, tot quæstionibus intricatissimis, Casibusque perplexissimis, juxta ac utilissimis, inque foro quotidie occurrentibus refertam, adeoque disputationi magis idoneam, quam præsens est materia, quemadmodum ex translatione materiæ patebit. Sit igitur in nomine  
omnis scientiæ fontis

A 2

THE



# THESIS I.

## §. I.

**J**uxta rationem ordinis naturalis ab origine rei inchoando apparet usum pecuniæ esse antiquissimum ; Refert enim Polydor. Virgil. *de rer. inventor. lib. 2. c. 20.* ex Josepho ; Cainum primi hominis Adami filium anxie cumulandis pecuniis incubuisse. Sed quia tamen ut mox apparebit, tum temporis nondum cognita fuit ærea, argentea, multòque minus aurea pecunia, certò decidi vix poterit, constiteritne pecunia in copia pecudum, uti refert Coras. *lib. 3. Miscellan. c. 13. n. 4.* idque ex Varrone, Columell. & Ovidio in *V. Fast.* hæcce vers.

*Cetera luxuria nondum instrumenta vigeant,  
Aut pecus, aut latam Dives habebat humum.  
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est;  
Sed iam de vetito quicque parabat opes.*

cui quoque ad stipulatur Schard. in *Lexico verb. pecunia*; An vero in corio pecudum signato, uti quidam volunt, & in specie auctor Anonymus in *tractatu de moneta Helmstadii anno 1622. edito pag. 17.* qui asserit, veteres non rarò pro materiâ nummi ordinariâ, corio, chartâ, ligno, cortice, lupinis, & ejusmodi ludicris rebus usos esse ; At verò cum in hac discrepantiâ materiæ nummorum nulla posset esse commercii gentis cum gente commoditas, nulla talis pecuniæ duratio, & opum in eâ consistentium ad posteros perpetuatio, nec non in casum obtingentis materiæ mutationis omnibus detrimenti, imò totalis depauperationis periculum pertimescendum, proinde propter has & alias rationes cuivis prudenti damnosa, adeoque parum rationabilis appareret ejusmodi nauci moneta, apud moratiores initio gentes, & post apud reliquas omnes usus æreorum argenteorum,  
& de

& denique propter facillioris transportationis commoditatem ex uno loco ad alium, aureorum quoque nummorum invaluit.

§. 2. Argentææ vero monetæ quis primus autor fuerit, an Thares, Pater Abrahamæ, ut Albericus in *Dictionario*: an Philo in Egina Insulâ, ut ex *Strabone refert Coral. cit. c. 13. n. 2.* an Phædon in Lydiâ, ut vult Polydor. *Virg. de rer. invent. lib. 2. cap. 20.* ubi multa alia hanc in rem allegat, nobis non integrum est certò definire, æreos autem nummos primum in Italia à Jano suafu Saturni, quem hospitio accepit, signatos, testes sunt *cit. Coral. & Polydor. Virg. d. loc.* cujus nota ex uno latere fuit Janus biceps, ex altero verò rostrum navis Saturni; juxta illud Ovidii

*At bona posteritas puppem formavit in ære,  
Hospitis adventum testificata Dei.*

Primum aureum verò nummum adscripsit, referente Polyd. Virgili. *cit. loc.* Herodotus Lydis, quoad verò initia harum rerum Romæ Plinius *histor. natural. lib. 33. cap. 3.* scribit; Romanos primum æreâ, deinde multò post argenteâ, ac demum aliquot lapsis annis ab urbe conditâ nimirum 647. aureâ pecuniâ usos fuisse, uti refert Didac. Covaruv. in *tr. de vet. nummismat. collat. c. 1. in pr.* & quia hæctenus nulla accomodatior materia pro nummis inveniri potuit, sed eam tam signatam, quam rudem, valore suo non destitui, & ejus possessores extra periculum notabilis mutationis, & detrimenti versari, compertum est; ipsa hæctenus omnium gentium unanimi consensu retenta est.

## THESES II.

§. 1. Post originem examinanda venit etymologia nominum huic rei convenientium. *Monetam* veteres dixerunt Deam esse, quæ pecuniæ curam haberet, graviter animadvertentem in eos qui dolum malum in eâ committerent, quâ ratione Grammatici voluere monetam dici, quod *moneat*, ne quid fraudis in ære, signo, pondereve fiat, ut habet *Coral. d. c. 13. n. 5* & Schardius in *suo Lexico jurid. verb. moneta.* quamvis & hic non sine ratione putet monetam inde dici, quod nos signi impressione vel authoris, vel præmi moneat. *Pecunia* verò vox à variis variè derivatur; præ-

ter enim duas in *ib. preced.* desuper recensitas opiniones affert supra  
 laud. *Polydor. Virgil.* ex *Plinio* tertiam, quod nimirum *Servius Rex*  
*Roman.* Romæ primus signaverit æs & quidem pecudum nota,  
 unde & pecunia appellata, pro quâ etiam sententiâ *Jacob Tiri-*  
*nius S. I. Theolog.* in egregio prolegomeno, hac de re suo *Commen-*  
*tario in Vet. & Nov. Testam.* præmissio, tradit, 100. agnos pro quibus  
 legimus *Jacobum Gen. 13. v. 19.* emisse partem agri, fuisse pecuniam  
 argenteam formâ agni signatam, cum & *S. Stephanus Act. 7. v. 16.*  
 pretio argenti eam emptam esse testetur; Uti & oves quas *Job. ult. v. 11.*  
 leguntur *Iobi* cognati ei donasse, ab Hebræis passim nummi ovibus  
 signati explicantur; quæ sententia majorem præ cæteris applausum  
 meretur. *Nummus* denique dicitur à græco νόμος id est: à lege:  
 quia scilicet habet valorem & authoritatem suam à lege non naturâ,  
 ut docet *Glossa in l. 1. ff. de contrab. empt.*

### THESIS III.

§. 1. Expositis nominibus generalibus deveniendum est ad  
 nomina specierum, ubi & earum tum pondus tum valor exprimen-  
 dus, eò quod partim inde nomen assumpserint, partim sine iis nomi-  
 na explicari non possint; Et quidem quod attinet veteres, cum hi  
 potissimum ære appenso rudi ante, quam pecuniâ signatâ uterentur,  
 ponderatim æstimabant res, hinc vulgatissimum pondus *As* erat,  
 quod & generali nomine indeclinabili pondo vel declinabili pondi-  
 um, ut & *libra* vocabatur: Constabat autem *libra æris*, pondo, vel  
*as*, duodecim partibus secundum duodecim menses anni, uti inquit  
*Fannius*, quarum singulas vocabant *uncias*; *uncia* ergò erat duo-  
 decima pars *libræ*, pondo, *assis*, *sextans* erat sexta pars: *quadrans*  
*quarta*: *Triens* *tertia*: *semis* vel *semissis* *dimidia*: *quincunx* erant  
 quinque *uncie*: *septunx* septem. bes octo erant *uncie*: *odrans*  
 novem, *dextans* seu *decunx* decem, *deunx* undecim: duo *asses* vo-  
 cabantur *dupondium*, tres *asses* *tripondium*, centum *asses* *centi-*  
*pondium*. *Uncia* quælibet habebat octo *drachmas*, *drachma*  
 tria *scrupula*, *scrupulum* dividebatur in binos *obolos*: *siliquæ* au-  
 tem sex *scrupulum*, & *grana* quatuor *siliquam* faciunt. Vid. *Covar.*  
*l. 2. n. 3.* & *Tirin d. loc.* quod autem *uncia* *vetus Romana* fuerit  
 omninò



omnino æqualis uncia nostræ hodiernæ, pendentibus duabus nostrates un-  
 cias, vulgò  $\lambda\theta\eta$ . dictas: probat Covar. d. c. n. 4. ubi dicit, quod hodi-  
 eam Hispani quam Germani in disponderando ære utantur esse  
 Romanæ libræ pro justo & summo pondere, quem Hispani mar-  
 chum Germani marcum appellant. Libra hodierna dividitur in 32.  
 partes seu lothones, ut vocat Myler ab Ehrenbach *tr. de princ. &*  
*stat. imp. p. 2. c. 71. n. 8.* Germanice  $\lambda\theta\eta$ . Ejus autem Dimidium, 16.  
 Lothones constituunt marcum. Quia autem juxta Covar. *beffis* seu  
 duæ tertiæ libræ Romanæ marcum efficiunt, hinc colligendum, no-  
 stram hodiernam superare Romanam una quarta, ita ut hæc 24. sal-  
 tem lothones æquaverit.

§. 2. Successu temporis invalescentibus negotiis, cum pondus  
 æris plusculum gravaret & molestum esset semper adhibere bilan-  
 cem, loco æris appensi, cœperunt uti ære signato cujus figura pre-  
 tium cujusque indicaret. Erat ergo tunc as seu pondo non jam  
 amplius libra 2. unciarum, sed nec uncia quidem æris, verum parvus  
 nummus æreus, valens decimam partem denarii; Denarius Ro-  
 manus factus est ex puro argento, Covarr. d. l. n. 6. octo autem ex  
 unâ uncia, ita ut denarius appenderit unam Drachmam d. l. n. 7.  
 sestertius verò nummus itidem argenteus, quartam habuit Denarii  
 partem d. l. n. 8. libella erat decima Denarii pars. Obiter hic notan-  
 dum quod magna sit differentia inter nummos sestertios, & sester-  
 tium neutrius generis, adeò ut sestertium unum valeat mille num-  
 mos sestertios. Siclus Hebræorum duplex fuit, usuarius seu vul-  
 garis & siclus sanctuarii, sic dictus, quia cautum erat *Exod 30. d. 13.*  
 sicli partem dimidiam offerendam esse Domino, hic quatu-  
 or, ille duas drachmas appendit, quod inde patet, quod Impera-  
 tores Augustus & Vespasianus tributum idem, quod in supracita-  
 to *cap.* præceptum erat Domino solvere, ab ipsis exegerunt,  
 idque sub nomine integri sicli, unde & hic siclus à Matthæo c. 17.  
 v. 23. Didrachmus vocabatur, ut latius videre est apud Covarr.  
 d. c. n. 9. Talis autem siclus juxta traditionem Tirini *supra cit. pro-*  
*leg. §. siclus argenti* valuit tantum quantum florenus Belgicus 20.  
*suferorum*, & octo Bazii Germanici, quod tamen ipsi defen-  
 dum relinquimus, cum secundum alios siclus vulgaris quartam par-  
 tem Imperialis exæquet. Fuit & apud veteres talentum quod con-  
 tinuit

cinuit sexaginta minas, mina verò Attica appendit centum drachmas, talentum autem apud alias gentes varii valoris fuit, prout minæ varii ponderis. Covar. c. 4. n. 5. Sterlingus, nummus Anglicus, ne hic mentionem ejus prætermittamus, cum apud nostrates de rebus Anglicanis differentes, sæpius occurrat mentio alicujus summæ pecuniæ, quæ exprimitur germanicè pfund Sterlings: quæ 20. Capitones, seu 4. Philippicos seu thaleros Hispanicos exæquat, ita dictus est quod ex unâ parte sturno avi, Anglice, Sterling insignitus est d. l. n. 12.

§. 3. Ad monetam auream accessum facimus; Dicitur est aureus solidus, ideo quod debeat esse integer & cui nihil desit. Covar. c. 3. n. 4. § 5. aut quia erat ex puro & solido auro, ut habet Boer. in dec. 327. n. 1. Solidus aureus tempore Justiniani fuit sexta pars unciæ, seu sex solidi appenderunt unam unciam, septuaginta enim duo solidi appenderunt unam libram, ut habet in terminis l. quoties §. C. de suscept. præpos. § arc. & multis convincunt Covar. 1. var. resol. c. 11. n. 1. Idem tract. de vet. numism. coll. c. 3. §. 1. n. 1. § 2. n. 2. Schard. in Lexic. verb. aureus. Tirin. supracit. proleg. §. solidus &c. unde & vocatus est sextula, tanquam pars sexta unciæ; cum jam ostensum sit marcam continere duas tertias libræ Romanæ, Ex quo consequitur certitudine arithmeticâ, marcam auri continere 48. solidos aureos; proinde cum marca, contineat juxta ordinat. monet. ut infra videbimus 67. Ducatos, sive nostros, sive Hungaricos utpote quos inter nullum aut exiguum discrimen deprehenditur, non videtur accurata esse, licet communis, Dd. sententia, quando dicunt, solidum sive aureum Romanum æquivalere aureo sive ducato Ungarico; æquivalent enim quingenti solidi, de quibus loquitur l. 36. §. ult. C. de donat 697  $\frac{1}{2}$  ducatis, centum verò aurei, quos prohibetur excedere palmarium Advocatorum, l. 1. §. 12. ff. de extraord. cognit. conficiunt 139  $\frac{7}{2}$  ducatos, & sic semper quando ratione aureorum quæstio incidit, facile eorum valor ad auream nostram monetam erui potest, si pro fundamento ponitur: marcam hodiernam auri æquare 48. aureos. Ducatus, teste Polyd. Virgil. supracit. c. 20. sic dictus à Romano Ducatu, qui Magistratus in Longino primum fuit constitutus, quem Justinus Imperator Narseti Italiæ Pærfecto successorem dedit. Siclus aureus, quo utebantur Hebræi, vale-

valebat duodecim siclos argenteos. Tirin. d. prolog. cit. §. qui auctor hanc materiam collationis veterum numismatum cum modernis cit. loc. curiosè admodum exponit. Plura nomina numismatum aureorum apud veteres vix cognita fuere.

§. 4. Progredimur ad Germaniæ nostræ monetas; ubi sciendum, quod majores nostri, utpotè non tam luxus quam simplicitatis sectatores, & qui iis quæ terra sua ferebat, contenti erant, rarò vixque alia usi sint pecuniâ, quam nummis, vulgo Pfennig / seu Heller dictis, quapropter & hisce verbis generaliter omnem pecuniam appellarunt; unde adhuc moderni Rustici hunc morem servantes dicunt: hastu Heller? id est: hastu Geld? Er hat viel Heller; Er ist reich an Geld / & in Wetteraviâ idem expriment verbo Pfennig / tuo autem Idiomate Peng; sicuti & videmus ditissimis olim Ecclesiis & cænobiis persolvi adhuc hodiè perexiguos Census, in etlich wenig Heller bestehend / qui census proveniunt aut ex foundationibus factis in istis nummis, tum multò pluris æstimatis, aut ex pretio locationis prædiorum, quæ tum temporis etiam amplissima pro paucis ejusmodi nummis Colonis elocata sunt; qui verò nummi, tunc propter raritatem, tanti possessoribus erant, quanti nunc nescio quæ summa pecuniæ, quoniam à seculo, & quod excurrit, maxima pecuniarum non minutarum duntaxat, sed & grossarum copia in terris Europæis apparuit; causa autem hujus copię est, quod ab aliquot seculis Europææ gentes per sedulam mercaturæ culturam & quidem per navigationes in utramque Indiam tantam copiam auri & imprimis argenti in Europam invexerint, eaque propter inter alias, apud Germaniæ quoque gentes copia pecuniarum, ut dictum, in tantum excreverit, ut, quod olim tenui pretio, id hodiè multò graviori summâ acquiri oporteat, eamque ob causam istæ antiquæ foundationes Ecclesiis olim in exiguâ quantitate nummorum, tum quidem non parum valentium factæ, jam pro nihilo ferè habendæ sint, earumque in minutissimas sæpe partes hodie divisæ reliquæ, juris potius imaginarii cujusdam conservandi, quàm emolumentum alicujus gratiâ colligantur, quæ omnia mihi experientiâ ex antiquis haustâ catastis satis constant.

§. 5. Modernas nostras monetas quod attinet, habemus earum species singularumque pondus & bonitatem, tanquam certum

B

fun-

fundamentum, seu, ut vocant, pedem, in Edicto sive ordinatione monetali Ferdinandi I. Imperatoris *de anno 1559.* Priusquam autem ad earum explicationem progrediamur, necessario præmittendum, nos in ponderandâ monetâ, ut thesi præced. dictum, uti semilibrâ Coloniensi, eine *Colnische Mark*: quæ quoad monetam argenteâ dividitur in sexdecim lotones, vulgò *Loth*: quoad auream verò in 24. *Caractas*: germanicè *Karath*: Hispanicè *quilates*, ita ut una uncia Romana habeat duas caractas, una vero uncia nostra vulgaris (*Loth*) unam cum dimidiâ caractâ. Præmittendum secundò, argentum purum esse quod nullum habet æs admixtum, &, quia Ariandes, quem Cambyses Ægypto præfecerat, ex ejusmodi argento purissimo nummos percussit, non infrequenter nominatur hoc argentum *Ariandicum*, uti habet Georg. Agricola *lib. 1. de precio metallorum &c.* Cæterò quin etiam dicitur argentum pustulatum, apud Hispanos *acendrado*: Germanicè *fein / sechszehenlöthig Silber*: idque idèd, quia una marca habet sexdecim uncias meri argenti, & nihil æris: *vierzehenlöthig Silber* autem vocatur, quando marca habet quatuordecim uncias argenti, & duas æris: *zwölfflöthig* quando marca habet duodecim uncias argenti, & quatuor æris, & sic deinceps. Aurum autem purissimum, quod nihil æris admixtum habet, dicitur obryzum, ab Ophir, Insulâ Æthiopiæ, quasi Ophirizum, ex quâ Insulâ purissimum advehebatur, hujus Obryzi debent inesse markæ Coloniensi viginti quatuor caractæ, nihil autem æris, aurum autem 22. caractarum est, quod habet in marcâ viginti duas caractas auri, & duas æris, aurum quod est 19. caractarum, quale est commune florentinum aureorum, *Goldgulden Gold* est, cujus una marca habet novemdecim marcas auri & quinque æris; deniq; in auro & argento ratio indicaturæ communis est, ut quod excoctissimum est, id sit à mixturâ alterius metalli purgatissimum, de quibus omnibus vide *Covar. d. 11. c. 3.*

§. 6. His itaque præmissis, prima species in supra memorato Edicto monetali §. 3. expressa, est Florenus communis, ein *Reichsgulden*: cujus valor tantus esse debet, quantus est sexaginta crucigerorum, (qui crucigeri constituti sunt nummus æstimatorius omnium reliquarum specierum, tam in auro quàm argento) Ex unâ marcâ Coloniensi cudi debent novem floreni cum dimidio, ipsa autem marca  
con-

continere debet quatuordecim uncias & sedecim grana argenti puri; & sic una marca puri argenti æquivalebit, seu inerit decē florenis  $12\frac{1}{2}$  &  $\frac{5}{3}$  crucigeros. Deinde nummus, quorum unus valeat decem crucigeris, quales ex unâ marcâ ejusdem argenti quinquaginta septem cudendi, quem sequitur adhuc alius quinque crucigerorum, qui tamen postmodum abrogatus est, ut & quarta species valens duos cum dimidio crucigeros. Posthæc statutus est nummus, valens duos crucigeros, cudendus ex argento cujus una marca contineat octo uncias argenti & octo æris; demum crucigeri, qui cudendi mandantur ex materia, cujus una marca contineat sex uncias & sex grana argenti, reliquum verò æris.

§. 7. Signatura omnibus ea est præscripta, ut in uno latere habeat aquilam bicipitem & ejus in pectore globum imperii, vulgò Reichsapffel: in cujus circulo numerus crucigerorum, quos valet nummus iste, exprimendus. Præter hos nummos imperiales permisum quoque est cudere quosdam minutos, alias scheidmünz dictos, certis provinciis usitatos, uti sunt Reichsgroschen, quorum viginti & unus unum florenum, sive sexaginta crucigeros; Würzburger / Württenberger und Badische Schillinge / quorum viginti octo unum florenum; Sundische Schillinge / quorum quadraginta octo florenum; deinde Bröschlein / quorum octoginta quatuor unum florenum valere debent, quibus accedunt in dictâ Ordinatione varii nummi, Heller oder Pfennig: quorum omnium determinata liga & valor ibi videri potest; quibus postmodum in Reccessu Imp. de anno 1556. §. 151. additi Thaleri, eorumque Dimidii, & quadrantes, quorum octo ex unâ marcâ, quatuordecim lotones & quatuor grana argenti continente, cudendi mandantur; Dicti sunt autem Thaleri Thaler / à germanico verbo Thal / quia à valle Joachimicâ, Jochnsthal / appellatur thaleri Joachimici, die Jochnsthaler / à loco ubi primum percussi; Sic alii nummi olim in locis montanis, ubi argentum fodiebatur cusi, ab iis dicebantur Schneeberger / Schreckenberger / seu Annenberger.

§. 8. Quoad auream monetam admittæ sunt duæ species nimirum floreni aurei, & ducati, ita tamen, ut pro more antiquo floreni cudantur ex marcâ Colonensi septuaginta duo, liga autem hæc sit, ut marca habeat decem & octo caractas & quatuor grana auri

puri, quorum unus valere debet septuaginta quinque crucigeros; Ducati verò ex unâ marcâ fieri debent sexaginta septem; pro horum ligâ statuitur, ut marca habeat viginti tres caractas auri puri cum octo granis, valorque eorum ordinatur centum & quatuor crucigerorum, & sic determinata est nummis Imperii, ejusque perpetua liga, vulgo *Schrott und Korn*: pondus, *gehalt und Gewicht*: caracter & signatura, *gepräg und Uberschrift*: & postremò valor, *Werth und Würdunge* / dicta.

### THESIS III.

§. 1. Quamvis nunc secundum ordinem vulgarem, antequam rem ipsam aggrediamur, definitio monetæ præmittenda foret; sed quia tamen tam circa ejus materiam quam formam, ut & proprietates seu necessarias qualitates, quæ in definitione differentiam constituunt, quædam occurrunt difficultates, lubet earum explanationem præmittere, utpote, quo præmissio, definitio facilius & quidem ad finem *thes. 6.* ad oculum se sistet. Materia igitur monetæ est æs, in quo duo consideranda veniunt, quale nimirum & quantum, qualitas consistit in ligâ, *Schrott und Korn*; quantitas in pondere, quæ ambo in præmemorato Edicto monetali & subinsecutis Recessibus Imperii perpetuam suam, ut vidimus, determinationem accepere; Forma propria & physica consistit in signaturâ externâ, *Gepräg und Uberschrift*: ex quibus duobus ritè constitutis tandem resultat valor justus, in quo consistit usus & officium pecuniæ & appellatur quidem à DD. forma, sed hoc intelligendum de formâ extrinseca quâdam & impropriâ, hinc duplex illa ab authoribus juris communiter deprædicata bonitas, intrinseca, quæ in bonitate, pondere, & ligâ materiæ; & extrinseca, quæ in valore consistit, quia verò hæc duplex bonitas à multis & magni nominis Civis impugnatur, hinc sequitur.

### THESIS V.

Quæritur hîc: *An duplex moneta bonitas intrinseca & extrinseca statuenda, nec ne?* Negat id rationibus certè non contemnendis Carol. Molinæus *de Contractibus*, Alii citant *Tract. de Commercio*  
*Et usu*

*Usuris quest. 92. n. 696.* propriam, specificam, substantialem & formalem bonitatem & essentiam pecuniæ consistere asserens in æstimatione & valore ejus publico, quo sublato desinat esse pecunia, juxta *l. eleganter §. qui reprobos ff. de pignorat. act. l. Julianus. §. sed si quis ff. ad exhib.* quapropter essentialis & intrinseca pecuniæ bonitas ipsi consistit in valore; Et hæc sententia admodum confirmatur per *l. 1. ff. de contrah. empt.* ubi dicitur, quod electa sit materia, cujus publica & perpetua æstimatio difficultatibus permutationum subveniret; Item quæ formâ publicâ percussa usum Dominiumque non tam ex substantiâ, id est, materia, quam quantitate, id est, valore, præbeat, nec ultra merx utrumque, sed alterum scilicet precium (quod consistit in solâ quantitate valoris) appelletur; quam quoque sententiam defendunt, referente Andrea Fachinæo *lib. 2. controvers. jur. c. 9.* Anton. Buttr. Curius senior & junior & alii ibidem allegati. Hæc tamen omnibus non obstantibus, sequimur communem sententiam, concludendo bonitatem pecuniæ esse duplicem, intrinsecam & extrinsecam, prout thesi præcedenti explicuimus, quodque ea hodiè communiter tam in docendo, quam decidendo teneatur, videre est apud Matth. Berlich, *lib. 2. concl. 35. n. 3.* Andr. Fachin. cit. *l. Albert. Brun. de mut. monet. concl. ult. coll. 5.* argumenta autem contrariam tenentium hic enodare idcirco supersedeo, quod hæc res disputationi merito relinquatur.

## THESIS VI.

§. 1. Ex hac sequitur altera quæstio, cujus resolutio multum juvabit explanationem reliquarum huic materiæ inhærentium tricarum; *An nimirum materia, an valor in pecuniâ principaliorem & nobiliorem obtineat locum?* ubi iterum pro valore acerrimè pugnat Carolus Molinæus. *supra cit. loc.* ex rationibus & fundamentis ibi adductis, cui adstipulatur Jac. Menoch. *resp. 49. n. 40. vers. hinc moneta &c.* & Oedrad. *cons. 167. n. 3. §. 4.* dicentes, quod quia pecuniæ utilitas consistat in usu, usus verò in valore, valor respiciendus sit. Cum enim quis velit rem aliquam æstimare pecuniâ, quæ omnia æstimantur, ipsa autem nullâ aliâ re æstimatur *l. 42. ff. de fidejussor.* non dirigit considerationem ad intrinsecum valorem pecuniæ,

cuniar, sed ad extrinsecum & usualem, cui sententiar subscribunt Imola & Alex. in l. penult. §. mancipia &c. solut. matrim. Bald. cons. 269. lib. 2. Buttr. in C. quando extr. de jurejur. & ibi Abbas dicens: quod moneta magis consideretur respectu cursus quam respectu materiar, quod & comprobavit Corneus Cons. 229. lib. 1. Aretin. Cons. 11. col. 2. ubi de communi DD. sententia attestatur. Gratian. ressp. 12. n. 56. lib. 1. Dom. Card Tusch, Tom 5. pract. concl. lit. m. concl. 346. n. 2. Cothm. Cons. 36. n. 125. vol. 1. Boer. dec. 327. n. 12. vers. quia magis consideratur &c. ut & Matthias Berlich p. 2. concl. 35. n. 12. quorum adhuc ingens caterva allegari posset, si presentis instituti ratio pateretur.

§. 2. His tamen omnibus non attentis concluditur, quod moneta magis consideretur respectu materiar, hacque principem in ea possideat locum. Idque per rationem (1) quia valor ordinatur juxta materiam, non materia juxta valorem, ita ut materia sit fundamentum, & norma valoris, dum si nesciatur valor cujusdam nummi, propter attritam aut alias incognitam signaturam, instituitur probatio vel mediante lydio lapide, oder durch die Reck- und Ziehebanc, cujus mentio fit in Rec. Imp. Auguste de anno 1566. §. 163. & Franckfurt. de ann. 1571. §. 33. in materia, & prout illa deprehenditur in liga & in pondere, ita judicatur ejus valor, ad quod constituuntur publici judices in jure ponderatores & Zygotatae l. 2. C. de ponderat. Hispanicè juxta Covar. Contraste, Germanicè, Warden dicti (2) quia pecunia appellatur frequentissimè à materia. Sic dicitur aes alienum, pecunia alteri debita, obaratus &c. & sumitur sapissimè aurum & argentum pro pecuniâ, nunc autem comper tum est à potiori desumi denominationem. (3) quia valor pecuniar juxta Romanas, maximè autem novissimas Germaniar leges, prout in sæpe allegato Edicto monetali & aliis Recessibus Imp. apparet, nihil omninò differt, aut saltem differre debet à valore materiar ut definit & docet Carpzov. p. 2. c. 28. d. 4. n. 8. & infra pluribus dicitur, Ergo. &c. Postremo propter textum expressum in l. 78 §. illud fortasse, ff. de legat. 3 Hisce præmissis facilè resultat definitio pecuniar, quod sit nimitum Corpus areum publicè signatum, cui & publicè certa liga & pondus præfixum ad finem & usum certi valoris pro commoditate commerciorum loco permutationum adinventum.

THE-



THESES VII.

§. 1. Per rei connexitatem & decidenda venit hic quaestio  
*An Princeps vel Respublica possit augere valorem pecuniae manente  
 veteri materia, vel supra valorem materiae?* Pro affirmativâ pugnat  
 Aristoteles l. 5. *Ethic. c. 5. & lib. 1. politic. c. 6.* ubi inquit, nummum  
 lege consistere, ac suam vim retinere non naturâ, siquidem ipse  
 Princeps, ipsa Respublica, denique ipsa lex nummum constituat,  
 atque ita numisma dicatur, quasi nomisma à νόμος, id est lege, à quâ  
 pretium & valorem certum accipit, cuique libera potestas est, num-  
 mos semel percussos inutiles facere. Ex quibus argumentatur Co-  
 varuv. d. tr. C. 7. n. 1. *vers. ceterum contrarium &c.* si non naturâ ipsâ,  
 sed à principe numismata vim & potestatem accipiunt, ab ipsoque  
 legem revocante inutilia effici possunt, profectò non tanti aestima-  
 tur materia ipsa auri vel argenti, quanti nummus ipse, quod proba-  
 tur ex l. Titia. ff. de auro & argento legat. ubi Jurisconsultus respon-  
 det, legatis alicui decem pondo auri, satis justè legatum solvi, si vel  
 aurum vel precium auri præstetur; Etenim si pecunia, quâ aurum ip-  
 sum aestimatur, aurea quidem tanti ponderis esset, quanti ipsum  
 aurum, nulla esset ratio cur hæc ut diversa, à jurisconsulto nomi-  
 nentur, nec ratio aut utilitas quæpiam esset in pecuniâ; posset enim  
 aurum & argentum rude eodem officio fungi; Cujusmodi plura in  
 hanc rem argumenta proponi possent, si præsens institutum permit-  
 teret. Quibus tamen non obstantibus statuitur, rationi & juri consen-  
 taneum esse, valorem numismatum non excedere valorem materiae, in  
 tantum ut & percussio debeat fieri expensis publicis, idque probatur  
 ex ipso argumento partis adversæ, quia, cum liceat Principibus aut  
 Rebus publicis valorem & æstimationem nummo autoritate legis ei  
 impositam, revocatione legis ei iterum adimere, fieret hoc utique  
 cum læsione privatorum, si valor lege impositus excederet valorem  
 naturalem materiae, quod esset contra jus & justitiam, uti hac super  
 re est textus expressus in C. quanto X. de jurejur. Erronea etiam est con-  
 trariæ sententiæ ratio, nullam hoc casu esse utilitatem pecuniæ, re-  
 spondetur enim ex Covaruv. cit. c. n. 2. maximum esse effectum au-  
 thoritatis publicæ in nummo, quod de bonitate, pondere & valore  
 absque ulteriori examine constet ex caractere & formâ, quo quidem  
 examine

examine opus foret, si massa auri & argenti daretur absque publicâ formâ, quam sententiam pulchrè corroborat Myler ab Ehrenbach *de stat. & princ. Imp. p. 2. c. 71. n. 14. & 15.*

§. 2. Quæ tamen conclusio limitanda venit 1. quod expensæ percussiois hodiè consuetudine universali imputentur valori pecuniæ signatæ, quâ de causâ tantum de ligâ argenti & auri detrahitur, quantum his expensis æquivalet, nimirum quantum ad grossam monetam lege publicâ, Edicto nimirum monetali, de quo supra, permissum est de marcâ argenti puri duas detrahere uncias sive lotones, minus 4. granis, uti nos vocamus, & surrogare duas æris, demptis illis 4. granis, ita ut contineat quatuordecim uncias argenti, & duas æris, salvis d. granis. In minuta verò pecuniâ plus additur cupri, quam in grossis, cujus quidem causam Matth. Coler. *in proc. execut. p. 1. c. 10. n. 11.* hanc reddit, quia majores pro eâ cundâ requirantur sumptus; quia tamen immixtio æris in majori quantitate accidit, quàm expensæ hæc exoptulent, videtur mihi hujus rei potissima ratio, tum ne corpus earum nimis tenue, leve, parvum, adeoque tractatu incommodum evadat, quod fieret si v. g. crucigeri & nummi ex mero argento fierent, tum etiam, ne quotidianâ contrectatione & de manu in manum obambulatione & numeratione nimis citò atterantur, earumque signatura extingua- tur, quod fieret, si ex argento ejusdem cum grossis ligæ constarent, utpote molliori, ita tamen, ut habitâ ratione majoris impendii, quam grossarum percussio requirit, æstimatio & valor earum correspon- deat argento in illis reperto, prout hæc & reliqua omnia ad exactis- simam æquitatis & justitiæ trutinam in Ordinatione monetali reda- cta reperiuntur, quâ de re qui plura lectuque digna desiderat, vi- deat cit; Coler. & Covar. *in loc. allegat. & Myler ab Ehrenbach cit. c. 71. n. 7.* Limitatur 2. si mutatio fiat consensu populi & rationabili de causâ ut ne meliores sortes exportentur extra regnum, quia tunc nulli per hoc fit injuria vide Covar. *cit. n. 5. in fin.* limitatur 3. in casu necessitatis, ut publicæ inopiæ, uti hoc olim Romæ factum esse dictâ ex causâ, memorat Plinius *lib. 33. c. 3.* aut belli, si deficiat pecunia un- de pro exercitu annona, & cætera necessaria comparari queant My- ler ab Ehrenbach. *d. c. 71. n. 16.* quo autem casu, quia redacto post- cessionem necessitatis valore pecuniæ in pristinum statum, ii qui  
pro

pro ejusmodi ad ductâ pecuniâ plures merces, quam ante factum esset, principi vendiderunt, læduntur, princeps vel respublica illarum possessoribus tantundem in probâ monetâ reponere tenetur. Covarruv. d. l. n. 6. Boer. decis. 327. n. 6. Besold. in quodam Consilio Francofurti anno 1624. impresso, ubi ex Joan. Marian. refert Fridericum III. Imperatorem difficultate bellicâ oppressum percussâ monetâ coriaceâ per præconem publice edici curasse, eum qui bello finito talem monetam ad Cameram Principis referret, aureum Augustalem recepturum, quod etiam ab ipso bonâ fide præstitum fuerit; uti etiam in obsidione Lugduni Batavorum, ubi chartacei, & obsidione Viennensi, ubi plumbei nummi percussi sunt, factum fuisse ex Budelio recenset.

### THESIS VIII.

§. 1. Huic succedit quæstio priori non ita multum absimilis: *An liceat privatis pecuniam majori precio & valore expendere, quam publicè valet?* & resolvitur negativè, quia quæ publicâ authoritate ordinata sunt, facto privatorum tolli aut mutari non possunt. Covarruv. d. c. n. 3. qui verò hanc conclusionem limitat dupliciter. *Primò* quando pecunia non erogatur ut pecunia, sed uti merx v. g. quando aurifabro ad deaurandum, vel aliud quid inde faciendum venditur, quod tum possit pluris, quam alias, ut pecunia valet, expendi, citatque ad id præter cæteros Domin. Soto lib. 7. de just. & iure. *Secundo* quod possit ut pecunia quoque pluris exponi, non quidem in contractu emptio- nis, ubi alterius rei precium sit oportet, & quoad hoc ejus officium, nulli liceat transgredi valorem ejus à lege taxatum, sed quando permutatur pecunia cum pecuniâ, cujus ad respectum non habet certum à lege & taxatum valorem, quod confirmat per doctrinam S. Thomæ. lib. 2. de regim princip. c. 14. & alios; quæ permutatio uti Rei- publicæ utilis est, cum nummularius minutam pecuniam ad quoti- dianum usum opus habenti tales pro aureâ, hanc vero pro commo- ditate translationis requirenti pro minutâ det; Ita iniquum non est, si ejusmodi hominibus minutos, argenteos, & aureos nummos pro cambiis paratos habentibus, pro labore & industriâ aliquid supra communem valorem relinquatur, saltem ne modus excedatur, quod genus commercii vocatur cambium, à verbo, cambio, id est,

est, permuto, merces autem campforibus dari solita, à Græcis dicta est collybus; inde campfores collybistæ dicti, ut notavit Budeus ad l. ult. ff. de pignorat. act. dicti quoque fuere nummularii, argentarii, Trapezitæ, mensularii, Covarruv. ibi n. 4. & vid. Schard. in lexico. verb. nummularii.

§. 2. Quæ licet rationi & juri satis congrua videantur, in Recessibus tamen Imp. omninò interdicta sunt, firmiterque & sub pœnâ confiscationis statutum, ne quis nummos publicâ autoritate ordinatos & valvatos, quovis modo, vel in ullo contractuum genere ultra valorem publicè impositum erogare, vel minori conquirere præsumat, uti cautum reperitur in sæpe laudatâ *Ordinatione monetali*. §. 66. *ibi*: Weder auß den Mûnzen wechßlen / kauffen oder verkauffen / oder in andere wege höher dann umb 75. fr. einnehmen und außgeben & §. 67. 68. & 69. It. *Rec. Imp. de anno 1570.* Spir. §. 147. & *Edicto Maximiliani Imperatoris*, nec non primo proclamate DD. *Commissariorum Cæsar. Francof. de an. 1571.* ubi & *Roding. in suis Pandectis Cameralibus tit. 12. n. 67. & 68.* mandata S. C. desuper in *Camērâ imperiali* decerni attestatur; Quod quidem gravissimis de causis ita statutum est. Anima adversum enim multis ab annis erat, grossas & probas monetas ab avarissimo pessimoque hominum genere, dato quopiam, ultra vulgarem valorem, permutatione congeri, igni addici, ex eoque alias ære contaminatas planèque adulteras efflari; uti videmus in Recessibus imperii passim querelas fieri de ejusmodi hominibus, qui oppido vocantur *Hipper und Wipper / Seiger / Steiger / Wescher / Stuffwechßler* / uti proh dolor, ejusmodi hominum pestiferâ lue patriam nostram hodiernum scèdè infectam esse, imò indies magis, magisque infici observamus; ad reprimendam igitur monetam ita adulterantium pervicaciam, seriò & tot repetitis vicibus, pecunias ultra statutum valorem permutando vel quovis modo erogare vel accipere, sanctissimè (ut modo dictum) interdictum est.

§. 3. At dicit aliquis, nihil minus quam hæc à multis hinc annis observari, itaque credibile consuetudinem in contrarium præscriptam esse, & exulare proindè propositam nostram thesin, videmus etenim non solum minutas, sed & grossas quoque species, uti florenos eorumque dimidios & quadrantes, multis passibus ab antiquâ in *Edicto monetali* utut toties confirmato, præscriptâ ligâ recessisse,

fisse, probiores autem monetas, uti thaleros, quorum valor *Rec. Imp. de anno 1566. Augusta* §. 151. ad sexaginta octo crucigeros; florenos aureos, quorum valor in memor. Edicto monetali §. 66. ad septuaginta quinque; Ducatos denique, quorum valor ibidem §. 68. ad centum & quatuor crucigeros determinatus est, hodiè multò pluris erogari. Thaleros enim jam inde à multis annis nonaginta, hodie vero ad centum crucigeros & ultra ad auctos, florenos aureos ad centum quinquaginta, ducatos verò ad decem supra ducentos crucigeros ascendisse &c. Sed Respondetur: Verum equidem pro dolor! non tamen negandum quoque esse, quin seculi nostri mores corruptissimi multis lachrimis deplorandi, nullam rationabilè consuetudinem aut usum introducere possint, sed detestandæ corruptelæ & abusus dici mereantur. Sicut &c. enim jus & sana ratio mandat nummos pro bono & commodo publico, nequaquam verò mercatus aut explendæ avaritiæ & cupiditatis gratia cudi, ut gravissimè edictum invenitur in *Recess. Imp. de anno 1570. Spira* §. 132. ita mirum non est, dum in hoc peccatur, si privatis damnum & jactura, universò autem decrementum & non rarò exitium omnimodum exinde oriatur, uti legere est in omnibus ferè *Recessibus Imperii nostri*, ubi eorum Conditores communiter hanc materiam gravissimis de super querelis ordiuntur.

§. 4. Uti verò videmus hanc illamve gentem opulentiorè & potentiorè prout mercatus & negotia cum exteris magis excoluntur; ita cum hujus rei unica clavis sit proba pecunia, non mirum est, si eâ deficiente omnia labascere incipiant, quemadmodum exempla Regnorum vicinorum ante oculos habemus, quæ dum auream & argenteam habuere monetam, non contemnendâ claruere potentiâ, hodiè autem illâ per avaritiam procerum jus cudendi habentium in æream conversâ, indeque mercaturâ penitus prostratâ, omnium rerum inopiâ laborare videmus; Cujus quoq; rei non exigua apud nos apparent initia. In nundinis enim majoribus Francofurti, Lipsiæ & alibi haberi solitis, mercatores externos varii generis proficuas merces eò apportantes multò carius eas vendere observamus, idque eâ de causâ, quia depravatas ejusmodi monetas nostras dato non parvo collybo, aut *lagio*, uti vocant, cum probæ sortis thaleris & ducatis permutare & extra fines Imperii cum ingenti ejus exitio exportare coguntur, quâ tandem exhaustâ omnem negotiationem,

præterquam quæ permutando expediri poterit, prostratum iri non  
 vanè auguramur, ex eoque fundamento caritatem annonæ indies au-  
 geri necessum est; Non enim illuculenter docemur ex Recessu Im-  
 perii Spir. *de anno 1570. §. 121.* pravitatem monetæ semper sequi ca-  
 ritatem annonæ, & omnium mercium; ut taceamus execrabiles  
 defraudationes, quas, vix ullum privatum in totâ Republicâ invenies  
 qui non sentiat. Præter enim jam dictam rerum caritatem in perpetuo  
 devaluationum periculo & damno versatur omnes, uti paucis ab hinc  
 annis observatum, dum aliquoties florenos ad sextam, crucigeros verò  
 ad dimidiam valoris partem in nonnullis provinciis devalvatos, eam-  
 que rem, dum propter dissensum vel conniventiam aliorum, nec non  
 impunitatem adulterantium monetam correctio nulla secuta, aliquo-  
 ties ingenti cum damno innocentium reiterari vidimus; Quod autem  
 adeò mirum non est, cum adversus saluberrimas sanctionum Impe-  
 rii constitutiones jus monetandi pessimæ sæpè hominum feci, Judæis  
 & aliis ejusdem farinae hominibus, committitur aut elocatur, id  
 quod severè interdictum reperitur in *Rec. Imp. de anno 1551. §. 46.*  
*Münzordt §. 173. Rec. Imp. 1570. §. 132. It. de anno 1594. §. 102.* nec  
 observentur civitates monetales, *die Münzstätte* / sed ad hoc exqui-  
 rantur loca secretiora & abdita quo melius ejusmodi homines, utpote:  
 in re illicitâ versantes operi vacare queant; Vocantur autem ejusmodi  
 in Recessibus Imperii *die Heckenmünzen* / quæ sub amissione juris  
 monetalis aliarumque pœnarum sunt prohibitæ in *Rec. Imp. de anno*  
*1570. §. 133. de anno 1571. §. 27. de anno 1576. §. 70. de anno 1594. §. 102.*  
 probabile autem est, eas sic appellari, quia & antiquitus, ut refert  
 Covaruv. *d. tr. c. ult.* ex Divo Hieronymo in vitâ Anthonii Eremitæ,  
 hujus criminis authores, ne ipso strepitu deprehenderentur, ad eum  
 usum in nemoribus *hecken* / & eremis antra sibi pararint. Cum ita-  
 que damnosum sit in populo monetam, bonitate & pondere legiti-  
 mo defraudatam, non ad legitimum pondus revocare, ut respondit  
 pontifex in *supracit. c. quanto personarum 18. de jurejur.* exorandus no-  
 bis Deus est, ut faxit, quò Imperator cum universis Imperii Statibus,  
 tandem ejusmodi boni publici eversores seriò eliminent, sanctissima-  
 rumque hac in re Imperii ordinationum unanimem amplexum, pro-  
 fligatis ad Garamantas omnibus abusibus & corruptelis, causentur.

THE

THESES IX.

§. 1. Sequitur occasione datâ quæstio famosa : *An creditor cogatur invitus accipere solutionem in alia specie pecunie quam in quâ credidit ?* Respondetur & concluditur distinguendo ; Vt enim contrahentes desuper pacti sunt , debitorque se ad certam speciem obligavit , & tunc non tenetur creditor accipere in aliâ specie , si sit diversæ materiæ v. g. si creditor auream mutuò dedit , debitor non potest solvere argenteam , ita sentit Covar. c. 7. §. unc. n. 10. & decisum expressè reperitur in Ordinatione monet. de anno. 1559. §. II. ibi. *aber was hie bevor auff Gold getheidiget und verschrieben ist &c.* potest tamen debitor solvere in aliâ specie quæ est ejusdem materiæ & ejusdem bonitatis d. §. &c. si autem hac in re nihil expressum est , tenetur creditor in aliâ specie etiam diversæ materiæ , modo sit ejusdem bonitatis , recipere solutionem ; Sufficit enim si solutio fiat in eodem genere & bonitate l. 3. ff. de reb. cred. quod tamen limitandum , si creditor non sentiat inde damnum L. debitorem 99. ff. de solut. Quando autem nummi quibus debitor solutionem facere prætendit non sunt ejusdem bonitatis & ligæ , cujus fuere mutuò accepti , tunc tales in solutione mutui non possunt creditori invito obtrudi , per alleg. l. 3. ff. de rebus creditis. neque in aliis solutionibus , ut ex contractu emptionis vel simili faciendis , creditor ejusmodi nummos v. g. albos , crucigeros , nec hodiernos grossos & his similes , quia sunt multò deterius ligæ , ( de iis qui sunt ordinationi monet. conformes , non de hodiernis adulterinis loquor ) ultra viginti quinque florenos accipere tenetur , obolos autem , vulgò Heller / Pfennig / quia infimæ & ærosissimæ ligæ sunt omninò nullos , nisi in perexiguâ solutione , acceptare obligatus est Münzord. §. 11. & 33. & Rec. Imp. de anno 1576. §. 76. quâ de materiâ solidè quoque & enucleatè scripsit Matth. Coler. de proc. exec. p. 1. c. 10. à n. 1. usque ad n. 18.

THESES X.

§. 1. Quoniam in præcedenti thesi dictum est , posse solutionem fieri in pecuniâ argenteâ , etiamsi mutuò data fuerit aurea , si hoc inter partes non sit expressè cautum ; cujus ratio est quod mo-

meta argentea justæ ligæ & ponderis, sit ejusdem bonitatis cum aureâ justæ ligæ & ponderis, idque propter statutam earum justam & perpetuam proportionem, lubet hic interjicere quæstionem: *Quenam fuerint olim, quæque sit hodiè proportio auri ad argentum & eorum?* & Respondetur juxta tradita Didac. Covar. c. 3. n. 3. olim Romæ, cum fuerit ibidem auri penuria, authore Plinio lib. 33. c. 3. fuisse inter aurum & argentum proportionem, seu analogiam quindecuplam, ita ut una drachma auri æstimaretur quindecim Drachmis argenti, deinde cum esset major auri copia, teste Livio lib. 38. proportionem observatam decuplam. Herodotum autem in *Thalia*, refert idem Autor, unum talentum taxasse tredecim talentis argenti, teste autem Georgio Agricola ex *Tranquillo & Tacito* tempore Sergij Galbæ unam auri portionem æstimatam fuisse duodecim & dimidia partibus argenti, deinde iterum ex Plinio lib. 19. c. 1. Vespasiani tempore proportionem fuisse ut duodecim ad unum, tandem subnectit cit. Covar. d. n. circa fin. sua ætate unam auri partem æstimatam duodecim & aliquando undecim argenti partibus; cujus variationis causa sit tum aliquando major, & aliquando minor auri penuria, tum etiam utriusque major aut minor puritas.

§. 2. Hodiernam differentiam quod attinet, cum in Ordin. Imonet. tantum sit detractum auro pro ducatis destinato, quantum juxta proportionem geometricam argento pro grossis monetis argenteis, vulgò *Reichs Münz* deputato, (loquimur hic simpliciter de auro & argento, sive tu intelligas utrumque purum, sive utrumque certâ suâ ligâ circumscriptum,) & habemus juxta valorem & pondus in dictâ Ordinatione cuique tributam proportionem duodecuplam, cum uno circiter quadrante, ita, ut marca auri exæquet in valore marcas argenti  $12\frac{4}{5}$  quæ fracturæ conficiunt circiter unam quartam partem, quam & proportionem approbat Tirinus *supracit. prolog. §. sicolus argenti &c.* omnibusque retroustitatis similior est; cum autem posterioribus annis postquam compages & vincula legum perrupta fuere, valor probarum specierum plus justo excreverit, imprimis verò aureæ duplicatis, ut ita loquar, gradibus ascenderint, ejus modi proportionem (reputando thalerum ad 90. ducatum verò ad 180. crucigeros, qui tamen novissimè adhuc altius ascendere) sexdecuplam cum tribus quadrantibus, ita ut una  
marca



marca auri æstimeretur 16  $\frac{2}{3}$  marcis argenti, adeoque majorem, quam ullo unquam tempore extiterit, observamus: cujus magnæ differentia: preciositatisque auri præter argentæ monetæ præsumptam depravationem causam quoque esse majorem argenti copiam, quæ ex Indiis ad nos advehitur, credibile est.

## THESIS XI.

§. I. Succedit tandem vexatissima quæstio: *quomodo mutata pecuniâ, solutio sit facienda?* an scilicet secundum tempus contractus, an verò solutionis, an in valore pecuniæ extrinseco an intrinseco? In quâ controversiâ maximus est authorum conflictus; Nos primò omnium inspiciendum censemus, fueritne debitor eo tempore quo mutatio pecuniæ contigit, in morâ nec ne? Si fuit in morâ, concludimus eum teneri quanti plurimi ab eo tempore pecunia valuit, si tanti creditoris interfuit *l. vinum. cum ibi not. ff. de reb. credit. l. fin. ff. de condu. tritic.* ubi tamen auctio valoris momentanea, vel modico saltem durans tempore non consideranda venit *l. pretia rer. §. fin. ff. ad leg. falcid.* ita quoque habet Coraf. *in miscell. l. 3. c. 13. n. 5. & 6.* & decidit Boer. *dec. 327. n. 13.* Est tamen hic nova altercatio, *an debitor morosus teneatur tam ad interesse lucri cessantis, quam damni emergentis?* & respondetur rationem solam haberi damni, non lucri. Coraf. *ibi n. 6.* & habet in terminis *l. fin. ff. de peric. & commod. rei vendit.* quod tamen iterum limitandum, nisi creditor solitus sit negotiari, & constet eum negotiatione istâ lucrari potuisse, quo casu tam lucri quam damni habenda est ratio *l. 2. §. ult. circa fin. ff. de eo, quod cert. loc.*

## THESIS XII.

§. I. Si debitor non fuit in mora, interim autem moneta mutata est, tot ferè sunt sententiæ, quot authores de ea re scripserunt, quorum plerique, ut & conqueritur Matth. Berlich *supracit. conclus. 35. in princ.* tam confusè & perplexe rem tradidère, ut magis videantur eam intricare, quam enodare; Quidam enim eorum distinguunt; an pecunia mutata sit quoad materiam, an formam, seu valo-

rem,

rem, utrimque multos effingunt & varie decidunt casus, uti videre est apud jam laudatum Berlich. *d. concl.* 35. § 36. & Andr. Fachin. *lib. 2. controu. iur. c. 9. § 10.* Alii indistinctè volunt solutionem faciendam juxta tempus solutionis, non contractus, quod faciunt omnes quos supra *th. 6.* diximus pugnare pro principali respectu ad valorem & cursum, quam materiam, ex argumentis ibi adductis, & aliis sat ponderosis, quorum potiora animus erat hic adducere, sed magis arridet ea à DD. Opponentibus præstolari; Alii denique concedunt, solutionem faciendam juxta tempus contractus, sed ad valorem tunc temporis extrinsecum, non intrinsecum, inter quos non postremus est supramemor. Berlich. *d. concl.* 35. n. 8. § 12. quod & sentire videtur Mynsing. *lib. 4. obs. 1.*

§. 2. Nos hanc rem breviter & ut putamus, solidè decidimus hoc modo, quod regulariter in mutuo, circa quod hæc materia potissimum versatur, solutio debeat fieri juxta bonitatem intrinsecam pecuniæ mutuò datæ, quod fit reddendo eandem species in quibus mutuum factum; ut si mutuò dati sint thaleri, reddantur thaleri ejusdem ligæ & ponderis, vel si solutio sit facienda in alia probâ pecunia (uti & licere supra decidimus) solvat debitor æstimationem bonitatis intrinsecæ pecuniæ mutuò datæ, quanti ea est tempore solutionis, ita ut valoris augmentum & decrementum sit creditoris & cedat materiæ, idque quia debitor tenetur reddere mutuum in eodem genere & eadem bonitate, quâ accepit, juxta *l. 3. ff. de reb. credit.* fundamentum rationis naturalis hujus decisionis consistit in hoc, quod in omnibus contractibus inspicienda sit mens contrahentium, hi autem juxta formalia hujus legis id egisse censentur, ut ejusdem generis & eadem bonitate reddatur mutuum, qua datum est, jam autem supra ostensum est, omnem pecuniæ bonitatem judicari & pendere à materiæ justâ bonitate & pondere, perpetuâque lege statutum esse, ut pecuniæ non debeant plus valere, (nisi quod propter sumptus percussiois modicum, cujus non habenda ratio, addatur) quam materia valet, ideoque omnes contrahentes ad illam, quia in eâ maxime securi sunt, creduntur respicere, est textus hac super re luculentissimus in *c. cum canonicis de cens.* ita quoque sentit Andreas Gail. *2. obs. 73. n. 6. § 7.* Bened. Carpzov. *p. 2. c. 28. d. 4. § 5.* Joh. Coraf. *lib. 3. miscoll. c. 13, n. 5.* Guido Pancirol. *in thesaur. var. lect. lib. 1. c. 73.* qui quidem

quidem distinguit casus, quando pecunia in materiã, & quando in formã, seu valore mutata est, sed utrumque juxta thesin nostram decidit. in primo ibi: quia monete antiquae sunt solvenda, vel si ea non est in usu, nova ad ejus aestimationem solvetur, si ergo adulteratam pecuniam solvis, pecunia quidem pro pecunia solvi potest, sed debes prestare, quanto minus valet soluta, quam ea, quam accepisti. Ad casum autem secundum ait; concludunt communiter scribentes eam pecuniam ejusdem formae, quae hodie currit, solvi posse ad aestimationem antiquae monetae &c. Didac. Covaruv. d. tr. c. 7. §. unic. n. 2. & 3. Nicol. Boët. d. decis. 327. n. 3. in fin. Guido Papæ Decis. Grananop. 493. in pr. ibi: non tamen nego neque intelligo, quin debeat fieri solutio de moneta usuali tempore solutionis ad valorem alterius monetae. Lud. Mohu. de iust. & jure Tom. 2. disputat. 312. vers. 3. & sequ. Petr. Suid. tom. 2. cons. 120. ibi: cum nempe communis conclusio sit, quod quando moneta facta est deterior in intrinsecã bonitate, vel pondere, solutio fieri debeat de moneta antiquã vel de novã ad valorem antiquae. Andr. Fachin. lib. 2. controvers. c. 10. qui rem in multas distinctiones digrens nobiscum tandem concludit vers. restat &c. his verbis: restat postrema questio de intrinsecã mutatione monetae, in quã quidem communis est, & vera sententia, in contractibus ita statuendum, ut si bonitatis intrinseca mutatio contingat, nihilominus ea à contrahentibus prestanda sit bonitas, quae tempore contractus erat &c. & quantum ad mutationem valoris in c. 9. vers. ibi: tertia est sententia vera & communis, si debitor non fuerit in morã diminutionis detrimentum ut & commodum augmenti creditoris erit, ubi hanc rem multis probat, & argumenta contraria refutat; tandem & videri possunt, quae pro hac sententia proferantur à Math. Berlich. quanquam dissentiente d. concl. 35. à n. 8. usque 12. inclusive. confirmatur etiam hæc sententia à Jac. Blam. in Proc. suo Cameral. tit. 34. à n. 12. usque ad 119. inclusive, & Guilielm. Roding. Pandect. Cameral. lib. 1. tit. 12. à n. 57. usq. ad 70. inclus. attestantibus non solum olim, sed & hodie juxta hanc sententiam contra eos qui aliter prætendunt, mandata decreta esse, & adhuc decerni, uti & Rodingius aliquot præjudicia desuper allegat; quorum multò plura hic adferre possem, nisi prolixitatem evitare mallet.

D

J. B.

§. 3. Dicta conclusio amplianda venit, (1.) ut procedat in omnibus omninò contractibus, in legibus, Statutis, & ultimis voluntatibus; quia in his omnibus respiciendum est ad mentem & præsumptam voluntatem contrahentium, legem & statutum condentium, & ultimum elogium proferentium, quippe qui semper credendi sunt in animo habuisse & intendisse pecuniara in eâ bonitate & valore, cujus tum temporis erat, uti videre est apud Carpzov. Gail. Coraf. & reliquos citatos Authores, quamvis Corafius quo ad pœnam in Statutis ordinatam dissentiat. Ampliatur (2.) conclusio, ut etiam procedat in usuris sortis, etiamsi illæ multis ab annis auctius, vel minutius, quam respectu sortis fieri debuisset, solutæ sint; Sunt enim accessio sortis, ut latè demonstrat Borcholten *tract. de usuris c. 1. n. 24. & c. 2. n. 6.* Carpzov. *p. 2. c. 28. d. 14.* has autem, indubitatum est, sequi naturam sui principalis *c. accessorium de Reg. jur. in 6.* & qualia sunt principia, talia sunt & principiata. Valq. *lib. 1. controuv. Illust. c. 47. n. 10.* quod & obtinet in annuis redivibus, ut habet Gail. *cit. obs. in princ.* Jac. Blum. *d. tit. n. 114.* Roding. *d. tit. n. 70.* idque omni præscriptione remotâ, ut probant DD. *ex l. 7. §. ult. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* inter quos & modò nominati *locis allegat.* Ampliatur (3.) in materiâ mutui, ut procedat conclusio, etiamsi aliud pactum sit inter partes, ad id, ut solvatur plus vel minus, quam datum est, quia natura mutui non patitur obligationem in plus, aut minus quam datum est, fieri, quia re contrahitur, uti in terminis loquitur *l. 17. in pr. ff. de pactis §. l. 9. C. de nov. num. pec.* quia verò hæc ampliatio non procedit in emptione venditione, dum hæc non re, sed consensu perficitur, & in eâ obtinet plus & minus, imo aliqualis deceptio, proinde possunt contrahentes pacisci de solutione in pecuniâ hujus vel illius valoris faciendâ, & verò solent frequenter per contractum emptionis acquiri annui reditus, qui tamen aliquando reipsâ à mutuo non differunt.

§. 4. Hinc quæritur: *an ampliatio procedat quoque in annuis redivibus emptis?* Et respondetur distinguendo: Aut enim est ejusmodi annuus reditus emptus verè talis, vel fictè & nominatenus tantum; si loquimur de vero annuo reditu fundo inhærente, quique ex parte venditoris tantum redimibilis est, & in quo non potest ab emptore  
repeti

repeti fors, quales pro veris redivibus agnoscentur in iure cano-  
nico, & aliam ab usurâ in mutui contractu stipulatâ sortiuntur natu-  
ram, ut patet ex c. 1. § 2. *extravag. de emptione*, & præterea videre  
est apud Gail. 2. *obs.* 7. à n. 1. usque ad 10. Didac. Covarriv. *variar.*  
*resol. lib. 3. c. 7.* & tales redivus admittunt pactum de solvendo in hoc  
vel illo valore, licet alius fuerit tempore solutionis; Aut sunt an-  
nui redivus, inspeciem sic dicti & empti, & in quibus tam emptori  
sortis repetitio quam venditori earum redemptio reservata est, diffe-  
runtque nominatenus tantum ab usuris, adeoque inventi, ut rei exo-  
sæ aliud nomen constituatur; & tunc procedit in iis ampliatio con-  
clusionis, quæ &

§. 5. Ampliatur (4.) etiam si in cautione chirographariâ ex-  
pressus sit valor specierum mutuò datarum, ut solet adjici v. gr. *Den*  
*Thaler zu 45. alb. den alb. zu 8. pf. gerechnet* / ut nihilominus mu-  
tato valore pecuniæ sive intrinseco, sive extrinseco, non sufficiat sol-  
vere juxta illum valorem expressum, sed solutio sit facienda juxta bo-  
nitatem intrinsecam pecuniæ mutuò datæ, siquidem ista valoris ex-  
pressio non censetur adjecta taxationis sed demonstrationis gratiâ,  
uti decidit Boër. *dec.* 327. n. 3. Bened. Carpzov. *p. 2. c. 29. def. 7.* Am-  
pliatur (5.) etsi contrahentes pacti sint, ut solutio fiat in quâvis pecu-  
niâ, prout ea valuerit tempore solutionis, *wie die der Zeit gang und*  
*geb sein wird*; quia adhuc solutio facienda est juxta æstimationem  
bonitatis intrinsecæ pecuniæ mutuò datæ, Pet. Surd. *tom. 2. cons.* 120.  
ubi dicit quando conveniunt partes, quod solutio fiat de monetâ  
currente tempore solutionis, tunc nihilominus novam pecuniam sol-  
vendam esse, secundum valorem antiquæ, eamque reduci ad æsti-  
mationem antiquæ, tantumque solvi debere de novâ, quantum ne-  
cesse est ad exæquandum valorem antiquæ; Namque talem clausulam  
aliud nihil operari docent, quam quod debitor non cogatur in pe-  
cuniâ antiquâ, sed possit de nova solvere; quod consulendo sequitur  
Oldrad. *cons.* 250 n. 3. *vers. ad secundum.* Calcan. *cons.* 15. n. 15. Pur-  
purat. *cons.* 522. Belold. *in cons. singulari hac de re August. vind. anno*  
*1624. impresso pag. 45. n. 5.* Limitanda autem venit conclusio, ut semper  
æqui Judicis arbitrio incumbat, rationem habere Regulæ naturalis:

D 2

quod

quod nemo debeat locupletari cum alterius damno, pro ut varii poterunt evenire casus, in quibus eam propter summam rationem à regulam recedi poterit.

### THESIS XIII.

§. 1. Huic quaestio merito subnectitur: *quomodo solutio sit facienda, si moneta mutuo data in totum reprobata sit?* & sunt qui dicunt debitorem liberari propter interitum speciei per *l. quod te ff. si cert. pet. l. in minor. 3. C. in quib. caus. restituit. in integr. non est necess.* permulti autem sunt, qui volunt debitorem teneri solvere in aliam monetam, juxta valorem mutuatae pecuniae tempore contractus, quos refert Math. Berlich. *p. 2. concl. 35. n. 23.* quam quoque tenet Bened. Carpzov. *p. 2. c. 28. d. 3.* Nos hanc quaestionem decidimus, uti priorem, sufficere nimirum solutionem fieri juxta bonitatem intrinsecam, quam debitor accepit, adeoque liberari, si solvat monetam reprobata & abolitam, per rationem ibi à Berlichio recensitam, & à nobis supra profundamentopositam, quod materia inspiciatur principaliter, & magis ad se trahat formam, quam forma materiam, vel si ea omnino non reperiat amplius, solvi debeat in aliam monetam aestimatio bonitatis intrinsecae, sive materiae reprobatae monetae.

§. 2. Non tamen negandum quoque est, esse hanc conclusionem quandoque propter varietatem circumstantiarum temperandam, tale nimirum istius in th. praeced. commendatae regulae ex aequitate desumptae, quod nefas sit locupletari cum alterius damno. Potest enim exempli gratiam fieri, ut tempore necessitatis jussu Principis in usu sit moneta coriacea, chartacea, omnino aerea, aut plumbea, uti supra retulimus; potest itidem per injurias aut infelicitatem temporum moneta ad infimum usque gradum materiae adulterari, & nihilominus per conniventiam, aut etiam neglectum Principis tolerari, ita ut publice valeat, uti antea proba valuit, & sic mutuatarius, qui illam ab alio mutuo petijt, & accepit, illam quoque in utilitatem suam usus est; quis non intelligat abrogatam tandem coriacea illam aut adulterinam pecuniam, & revocatam probam, iniquissimum fore solutionem in abrogatam illam, & nunc nihil valente massam beneficienti

creditori velle obtrudere? quare tali casu judicis erit inquirere in quantum debitor eâ mutuo acceptâ pecuniâ locupletior factus sit, & procurare, ut tantundem creditor recipiat; quo casu tamen & illud considerandum veniet, quod plerumque pecunia in bonitate & pondere deficiente, crescant precia rerum, cujus rei, ut sciri possit, quantum verè debitor locupletior factus, sedula ratio instituat necesse est; quam restrictionem multis probare supersedeo, quia ad hoc deserviunt illorum Authorum argumenta, quos supra pro valore & cursu pecuniæ militare retulimus.

## THESIS XIV.

§. 1. Examinatis jam requisitis probæ monetæ, & quæstionibus juris in hacce materiâ occurrentibus, differendum nunc paucis de falsis monetis & earum fabricatorum pœnis, in jure statutis; Vocantur autem falsi nummi communiter reprobi, adulterini, & teste Covar. *d. tr. c. 8. n. 2.* phrasi græcâ: parasemi, seu numismata paratypa & paracharagmata, ipsi qui falsas monetas fabricant, Paracharactæ. Falsificatur autem moneta variè; primò ab his qui eam cudunt, non habentes cudendi potestatem; pertinet verò hoc jus ad Principem aut qui præest Reipublicæ, quapropter & vocatur Regale Covar. *d. c. n. 1.* uti & in Imperio Romano Germanico jus hoc monetandi solus sibi vendicat Imperator, non solum quoad curam ejus, sed & quoad potestatem illud aliis conferendi; Communicatum autem est omnibus S. R. Imp. Electoribus in aureâ Bullâ Caroli IV. *c. 10.* & præterea multis aliis Statibus, ut & Civitatibus Imperii liberis, non jurè Territorii, sed specialis concessionis, ut ex legibus Imperii deducunt Carpzov. *in praxi rer. crimen. p. 1. q. 43. n. 5. & seqq.* Myler ab Ehrenbach *in tr. de princ. & stat. Imp. p. 2. c. 71. n. 2. & 3. 2.* Secundo dicuntur nummi falsi qui non habent formam aut signaturam à Principe vel lege statutam; uti & tertio, qui carent ligâ & pondere à lege præscriptis, ita ut vel uno grano deficiente moneta non sit justa & proba reputanda. *Rec. Imp. de anno 1570. §. 136.*

§. 2. Sed quia ut supra dictum est, experientia, proli dolor!

evincit, reperiri qui hoc jure regali non ad utilitatem publicam sed ad fœdam lucri captationem & mercatū quendam abutuntur, unde & non rarò contra seriam dispositionem *Rec. Imp. de Ann. 1570. §. 132.* id omnis generis sordidi lucri sectatoribus locare solent; hinc mille modos defraudandi excogitantes illi vel granatim argento æs ingerunt, vel monetas probè fabricatas scindendo, radendo vel aliis modis mutilant; Cui hominum generi justissimi legum Imperii Conditores se graviter opponunt, ejusdemque eliminationi serio, sed hucusque inani successu incumbunt; describuntur autem passim sub nominibus in *Rec. Imp. de ann. 1551. Augusta §. 47.* Granalirer / Körner / Sangerer in *Rec. Imp. de an. 1566. §. 168.* Sangerer / Ringerer / Beschneider / Schwächer / Wäscher / Abgiesser / Aufwieger / Aufwechsler / und Fälscher / auch die mit Verführung der Münz Kauffmanschaft treiben / und eigennützigen Vortheil suchen / quod repetitur in Edicto monetali Imperatoris Maximiliani de an. 1571. It. *Rec. Imp. Reginoburg. de anno 1576. §. 75.* ibi: Darum soll auch ein jede Obrigkeit in ihrem Gebieth auff solche Aufsehrer und Einschleiffer / dann auch sonderlich auff die gefährliche Aufwechsler / Granalirer und Verbrecher / und Vermünzer der guten groben Silberforten. It. *Rec. Imp. de anno 1582. §. 68.* It. de anno 1594. §. 103. It. de anno 1603. §. 55. ibi. mit dem betrieglichem cementiren umbgehen / die grobe gute Reichs-Sorten aufwechseln / wiederum brechen / in andere an Schrott und Korn geringere vermünzen &c. Ex quibus omnibus abundè videre est, quam varii sint hodie modi adulterandi & depravandi monetam, pro quorum omnium faciliori extirpatione in specie statutum reperitur, ut in quovis Circulo tres, quatuorve Civitates monetariæ, Münzstätte ordinentur, in iisque Status monetam pro suorum subditorum usu necessariam curant, utque tantum ii, qui aurum & argentum in suis territoriis fodiunt, monetam preciosiorem, ut auream, & thaleros in privatis officinis signent, uti ordinatum videre est in *Rec. Imperii de anno 1551. Aug. §. 48.* & *Rec. Imp. de anno 1576. §. 78.* & in singulis Circulis bis per annum probationes instituantur. *Ordinat. monet. §. 156.* Circulique hac super re correspondeant, monetariosque in circulo recipiendos rite examinent & juramento obstringant, ne aliter quam juxtà Ordinatione-



nationem monetalem cudant, idque sub pœnâ corporis inflictivâ  
*Rec. Imp. de ann. 1566. §. 162. Rec. Imp. de anno 1582. §. 62.*

THESES XV.

§. 1. Uti hac in re varia committuntur delicta, læsæ nimirum  
 Majestatis, falsi, & furti; & prout hæc omnia simul concurrunt, aut  
 unum vel plura subsunt, vel per circumstantias quasdam attenu-  
 antur; ita pœna vel ordinaria ignis, vel extraordinaria gladii fustiga-  
 tionis deportationis perpetuæ, seu temporalis, pecuniaria, incarce-  
 rationis, & similis irrogatur; quoniam verò maximè læditur Maje-  
 stas & Respublica per eos, qui fabricant & expendunt monetam in  
 materiâ adulteratam, igitur horum pœna ordinaria est ignis, remo-  
 ta omni appellatione, domus verò in quâ percussa est falsa moneta, si  
 ejus Dominus in eâ vel in proximo constitutus fuerit, fisco addicen-  
 da l. r. §. 2. C. de falsâ monetâ, quibuscum ferè convenit Ordinatio cri-  
 minalis Caroli V. Imperatoris artic. 3. quia autem pro varietate  
 casuum & circumstantiarum non semper pœna ordinaria locum ha-  
 bet, sed ut plurimum extraordinaria, & verò hocce nimis multiplices  
 casus & eorum singulis competentes pœnas hic membratim disquire-  
 re prolixius foret, quam præsens fert occasio; idcirco hæc omnia videri  
 poterunt apud Bened. Carpzov. in sua *Prax. rer. crim.* p. 1. q. 42. & 43.  
 Covaruv. d. tr. c. ult. per tot. quemadmodum quoq; Statibus jus mone-  
 tandi habentibus, in pluribus Imperii Recessibus & ipsa *Ordinatione*  
*monetali de anno 1559.* severè injunctum reperitur, ne in re monetariâ  
 dictam Ordinationem transgrediantur, idque sub pœnis diversis post  
 indignationem Cæsaream nimirum, pecuniariâ, amissione juris mo-  
 netandi, & confiscatione æris signati & non signati, ut & omnium  
 rerum ad officinas monetales pertinentium; videri desuper possunt  
 omnia loca Recessuum in thesi præcedenti allegata, ubi modi falsifi-  
 candi monetas expositi sunt, & præterea *Rec. Imp. de anno 1576. §. 77.*  
*§. seqq. It. de anno 1582. §. 67. It. de anno 1598. §. 55. & postremò Ca-*  
*pitul. Cesar. de anno 1658. §. 34.* cum verò hoc ærolo seculo, quod te-  
 ste Carpzov. *supracit. q. 43. n. 51.* & experienciâ, circa annum 1620.  
 1621. §. 22. incepit, contemptus harum saluberrimarum legum aded  
 inava-

invaluerit, ut omnes pro earum in usum reductione hactenus impensa  
 conatus tanto operi non suffecerint, impediaturq; hæc restitutio ho-  
 dienum per Martis & alia, rerum patriæ peritis non ignota, turbamina,  
 faxit Deus Ter Optimus Maximus, ut tandem mediante constan-  
 ti pace in- & externâ, nec non quoad hanc rem monetariam & alia  
 necessaria, sincerior legum cultus & hoc prævio antiquus  
 patriæ splendor & potentia revire  
 scant!



## COROLLARIA.

### I.

**D** *Isputatum sæpius est, an  
 decimæ debeantur jure  
 naturali, an positivo,  
 an divino? Respondetur, quod  
 divino.*

### II.

*Quæsitum est, an inter Sta-  
 tus*

*tus Augustanae Confessionis ca-  
pax sit jurisdictionis Episcopa-  
lis, quinon habet superioritatem  
territorialem? In conflictu dice-  
mus mentem.*

III.

*Mulier ratione dotis non  
præfertur Creditoribus anterio-  
ribus, expressam hypothecam  
habentibus.*

IV.

*Sicuti scribens testamentum,  
sic & illud ad calamum dictans,  
non potest legatum capere ex ta-*

E lite-

*li testamento , nisi relictum sit  
illi cum elogio.*

*V.*

*Augmentum & decremen-  
tum valoris pecuniæ mutuo da-  
tæ est debitoris , non cre-  
ditoris.*


**FINIS.**




da  
TK  
2838

VON





**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000  
**Kodak** LICENSED PRODUCT  
 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue



*Principi, ac Domino*  
**NO**  
**HUGONI,**  
 si, Sacri Romani Im-  
 peratense Archi-Cancellario,  
 Spirensi, Administratori  
 et Præposito Weis-  
 , &c. &c.  
*neræ Judici,*  
 clementissimo.  
*Illustri DOMINO,*  
**FRANCISCO**  
**ARDO,**  
 ni de Dalberg, S. Rom. Imp.  
 heim, Essingen, & Krobsberg,  
 natiensis Præposito &c.  
 ce-Judici & Præsidi.  
*entissimo DOMINO,*  
**I ANTONIO,**  
 in Westerburg, des H. Röm.  
 r. Freyen &c.  
 nerae Præsidi,  
 non  
 olissimisq; Dominis, Dnn. Ejusdem  
 alis Camerae Iudicii  
**ORIBUS.**  
*ctiosis Et omni veneratio-*  
*nè suspiciendis.*  
 D. D. C.  
 Author

